QUAEDAM DE MORBOSO ELUSI AMORIS INFLUXU DISSERTATIO INAUGURALIS...

Marco Francesco Antonelli



QUAEDAM DE
MORBOSO ELUSI AMORIS INFLUXU
DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

PRO LAUREA IN RE MEDICA ASSEQUENDA

IN CELEBERRIMA ET PERVETUSTA

UNIVERSITATE PATAVINA

DIE XVII JANUARII AN. MDCCCXXX

UNA CUM ADNEXIS THESIBUS

ERUDITORUM EXAMINI OFFEREBAT

MARCUS FRANCISCUS ANTONELLI

DE S. MARTINO LUPARENSI

PATAVII

EX TYPIS VALENTINI CRESCINII

M. DCCC. XXX

DE MORBOSO ELUSI AMORIS INFLUXU

Qui legitis flores et humi nascentia fraga,
Frigidus, o pueri, fugite hinc, latet anguis in herba.

Virg. Bucc. Eglog. 3.

Si hodierna hac die, quae mihi pulcherrima illucescit, et novum vitae curriculum aperit, de nobilissimo animi affectu nonnulla dicere suscipio, qui si forte impediatur, hominem ad gravissima damna deducit; rogo vos etiam atque etiam, egregii Auditores, ut me maxime trepidantem confirmetis, et in bonam spem erigatis. Fateor equidem, argumentum, quod mihi prae caeteris arrisit, magnas difficultates prae se ferre, et esse hujusmodi, ut nonnisi a viris rerum humanarum experientissimis, iisdemque summis philosophis disputari queat. Sed ego non is sum, qui mihi me ipsi confidam, et propriis viribus innitar; duces mei erunt magistri praeclarissimi, qui in arte salutari magnum sibi nomen compararunt. Horum ego praeceptis si quid addam, ne

mihi, quaeso, audaciae notam inuratis, sed existimetis, id totum ab ipsa doctrinae illustrandae cupiditate proficisci. Omnia sane brevibus finibus concludam, et ea vos, sapientissimi Professores, cultores hujus ingenii mei, qualecumque sit, maxime solertes, vosque etiam optimi adolescentes, laborum et studiorum nostrorum animosi comites, ea, inquam, vos humaniter et benevole excipite; comitas enim cum vera doctrina semper societatem init, atque profitetur.

Amor ille animi affectus, quem Deus ipse providentissimo consilio nobis indidit, ut a tot tamque acerbis vitae aerumnis aliquando respiraremus, ut per honestissimas voluptates angusta nostri exilii tempora exigeremus; de quo tam dulcia et amoena plurimorum vatum lyrae cecinerunt, tam gravia et seria philosophorum libri disputarunt; qui universum terrarum orbem occupat, et omnes homines cujuscumque generis et conditionis igne suo inflammat; Amor hic idem, ubi sibi aliquid opponi sentiat, et in medio vehementissimae voluptatis injectum frenum habeat, incredibile est, quantum imperium, nisi recte regatur, exerceat in ipsum animum, et quantum inde valeat ad convertendas, quae optimae sunt, vitae functiones in totidem nocivas potentias. Itaque hujus potentissimi affectus illusa spes ita totum systema nervoso-cerebrale turbat, ut plerumque omnis animalis aeconomia afficiatur, et damnum ferat. Animus enim partes omnes in hujusmodi argumento sibi vindicat, maximo rei

dilectae desiderio incenditur, ad eam, exclusis omnibus aliis, unice fertur, ac penitus raptus est. Certe si amantis alicujus, qui puras flammas profanis flammis vehementiores alit, frustratam mentem penetrare atque introspicere possemus, ibi nos impressam imaginem subjecti observabimus, quod ipse procul amore prosequitur summo, quia ejus praesentia nequaquam frui potest. Ad hanc autem imaginem accedunt plura alia, quae in ejus animo excitantur, et quasi per picturam imprimuntur. Sidera sunt oculi, incessus plusquam humanus, lingua sirenis; illecebrae ex toto corpore apparent, et formae admirabilis venustas exsurgit; est crinis ex auro, est labrum ex rosa, manus ex ebure; uno verbo amans totius perfectionis typum in caro subjecto se videre arbitratur, et voluptatem, quam ex eo percepisset, si voti compos factus esset, talem sibi fingit, qualem nunquam alius nec ante, nec postea gustare potuerit. Haec vero, et plura hujusmodi ita ejus animo obversantur, ut nec die, nec nocte a contemplanda illa, quam divinam appellat, pulchritudine cesset. Quamobrem imaginandi vis, sive naturae donum, sive habitudinis productum sit, sic sensorium afficit et excitat, ut dynamicas ejus proportiones turbet, et quandoque etiam hypersthenian inducat. Ubi autem sensorium iterum iterumque perturbetur, reliquae affectiones consequuntur praesertim ex debilitatione cerebri, inter quas melancholicum delirium frequentissime occurrit. Hinc veteres egregie admodum dixerunt, Jovem quandiu non

amaret, ratione uti, non autem posse eodem tempore et amare, et rationem exercere. Quum amans secum ipse intense et assidue de subjecto cogitat, quod jam amplius habere nequit, potentiae vitales debilitantur, spiritus imminuitur, confunduntur mentis operationes, et in sanguineum systema actio vehemens derivatur, eo quia arctissime hoc systema cum sensorio conjunctum est. Hinc etiam vigor cordis et arteriarum remittit, circulatio languida et inaequalis fit, congestiones et infarctus in textibus viscerum, maxime in pectore contigunt, unde suspirium tamquam necessarius harum pathologicarum conditionum effectus evadit. Illud insuper sequitur, ut digestio difficilis fiat, chimificatio perturbetur, non perficiatur sanguificatio, et propterea, nutritione diminuta, animalis omnis aeconomia aequilibrium paulatim sublatum sentiat. Ex hac duorum praecipuorum vitae systematum non intermissa perturbatione clam in organismo vitiosa multa elaborantur, analyses et syntheses fortasse succedunt, iique processus fiunt, pluresque alii morbosi consequuntur, ut infinita propemodum malorum series illusi amoris victimas ad extremam perniciem deducat, et horrendum in modum, unde humana conditio miseratione dignissima est, enecet atque absumat. Videmus hinc recurrentes cephalalgias, palpitationes paralyses, dispepsias, haemorrhagias, multiplices nervosos morbos, apoplexias, affectiones hydropicas, convulsiones, foeminas hystericas, chloroses ex laesa organisatione uterina et ovaria, amaenorrhaeas, hy-

sterismos, onanismum, nymphomaniam, hypocondriasim, tabem lentam, cephaleam vertiginem, vigilias, leucoraeam, catalepsim, melancholiam, delirium, maniam, et ipsum aliquando suicidium. Nec satis dici potest, quo impetu rapiatur in virginibus phantasia vehementi aliquo amore praeoccupata. Ita in opere suo processit Roose (1), ut asserere non dubitaverit, corpora, quae lutea dicuntur, et consecutae fecundationis effectus existimantur, ab exaltata imaginandi vi posse etiam generari. Quod si idem unquam verum existeret, haberetur profecto ratio, cur haec corpora deprehendantur in ovariis virginum, qualia deprehenderunt Buffonius (2), et Vallisnierius. Ego equidem id affirmare non audeam, sed tamen exemplum afferam vehementissimae actionis exaltatae phantasiae. Vidi enim in Clinico Instituto hujus nostrae Universitatis, tam pulcritudine quam verecundia insignem, puellam, quae catalepsi laborabat ea de causa, quia infidum amantem, quem deperibat, experta est: nec ante ad pristinam sanitatem rediit, quam rediit adolescens ad pristinam fidem. Narrat Tulpius (3) cognovisse se anglum juvenem tetano correptum ob inopinam amatae puellae repulsam, et post unam diem convaluisse, quia eamdem suam futuram sciverit. Celeberrimus Avicenna pennicillo, quod ipsa natura ei tradit, furorem uterinum ab illuso amore exortum egregie describit, atque ita describit, qualem in universa Europa accidere saepe observamus. Quodnam autem malum est, quod non ab hoc immoderato animi af-

fectu proficiscatur, quum semel cordi insideat dominus potentissimus? qua vi, quo consilio coerceri potest? Exitus sane miserrimus est, et idipsum facta testantur, quorum plenae sunt historiae medicae, pleni philosophorum libri, plena omnis vetustas. Joseph Franck (4) haec omnia vera habuit, exclamavitque: " Quot bella tam pubblica, quam ,, privata insanientis produxit vehementia amoris! ,, quantae clades, quantae strages exinde ortae! ,, quot civitates dehinc eversae! quot hominum ,, millia misere mactata,,! Certe Cycnus ille, cujus suavissimam vocem repetit adhuc felix Mincii unda, philosophice potius, quam poetice dixit:

Improbe Amor, quid non mortalia pectora cogis?

Plura sane sunt ea, quae tristissima accidunt, ubi vota et desideria in amore irrita fiant. Qui enim suas spes frustratas sentiunt, aliquando lenta et saepe universali consumptione corripiuntur, quin nihil eorum ratio perturbata appareat; aliquando etiam delirio, et ea insania, quam Medici erotomaniam vocant. Quamvis autem nymphomania et satyriasis sint intemperantis amoris effectus, tamen cum erotomania nequaquam confundi debent. Illae enim ita lasciviunt, ut nullum umquam modum effraenatis desiderii ponant, haec vero clam cupit, suspirat, ardet, et in uno solum subjecto appetendo tota est. Ad hoc ipsa vehementissime fertur animo, actione, sermone; quidquid ante oculos venit, ibi delicias suas esse credit; si zephyri aura perflat, si movetur vento frons arboris, videtur sibi amantem audire;

pallet, tremit, rubet, carum nomen in plantis incidit, eaque facit plerumque, quae propemodum incredibilia sunt. Ita tener ille Gotphridi cantor nihil aliud in somno sibi adesse nocte intuebatur, nisi Eleonoram; ita Abelardus in ipsa divinorum voluminum sanctitate nihil aliud, nisi Eloisae nomen, oculis usurpabat. Qui hujusmodi flammis sic incenduntur, hominum consortia et solatia usque vitant, solitudinem quaerunt, rerum suavium lectione pascuntur, quandam gracilitatem et pallorem contrahunt, incavatos oculos, mollem contuitum, parvos et inaequales pulsus, languidam physiognomiam habent, cibos fastidiunt, noctem insomnem ducunt, perpetuo inquieti sunt, turbidi, suspiciosi, continuis fletibus indulgent, brevi quasi in placido delirio semper versantur, unde eorum anima amoris igne incensa extra se vivit, ac movetur. Elapsa autem temporis mora, lenta febris exsurgit, et organismi functiones perturbantur; itaque maxime debilitati lecto jacere coguntur, et praematurae tabis venenum lentis haustibus deglutire. Praedisponunt ad hanc insaniae speciem temperamentum nervosum, mollis et voluptuosa educatio, vita sedentaria effeminata, et habitus ipse phthisicus. Quanta sit amoris vis, divino Platoni omnino innotuit, quum dixit. ,, Non solum in animum impetum facit amor, verum et in corpus saepenumero tyrannidem exercet, vigiliis, curis, macie, dolore, habitudine, et mille affectibus lethalem noxam inferentibus corpus vexat ,,. Quid plura? ut sibi ipsis mortem

consciscant, quandoque etiam homines cogit illusi amoris vehementia. Atque utinam his exemplis historiae non redundarent! utinam nostris ipsis temporibus hujusmodi miseranda facta non accidérent! Quod si quis adolescentulus, parentum suorum unicum delicium et solamen, in ipso aetatis flore afficiatur praepotenti eademque frustrata amoris vi, unde in gravissimum morbum inciderit, quid faciet medicus ad ejus curam invitatus? Non jam, credo equidem, efficacissima statim pharmaca praescribet ad vincendum morbum, sed in primis veram affectionis causam ab aegrotante diligentissime exquiret. Facile enim est plerumque, causas morborum pshychicas praesertim in juvenibus omittere et negligere facile est, aut pudore, aut alia ratione juvenes ea tacere, quae morbis etiam gravibus originem dederunt. Quamobrem post notitiam verae causae, unde morbus extitit, quid unquam medicus consulet? Haud ipsum fugit, in his casibus apud remotissimam antiquitatem valuisse oppium, belladonam, daturam stramonium, pluraque alia hujusmodi narcotica. Scit praeterea, quae Dioscorides (5) narrat de matronis atheniensibus, apud quas hoc in more positum erat, ut ad inhonestas cogitationis lascivaque somnia arcenda, thalami tegerentur foliis et ramis viticis sive agni casti, in quorum odore magna vis inesse ad ea propulsanda credebatur. Quid igitur ipse? an efficacioribus remediis utetur? Ego equidem nihil de meo addere velim, sed quae in hac re celeberrimus Galliae (6) medicus proponit,

in medium affero: "Après des exemples aussi frap-
„ pans de l'empire des passions sur l'economie ani-
„ male, croira t on, que la Médecine puisse four-
„ nir les moyens de les domter? Croira t-on, que si
„ la nature n'a pas donné aux hommes des secours
„ efficaces, contre la fureur d'une passion amorou-
„ se, ces secours sortiront des laboratoires de nos
„ Chymistes, et viendront à la voix qui les appel-
„ le, répandre l'engourdissement, le froid, l'insen-
„ sibilitè sur des êtres destinés par le Créateur à
„ multiplier les chefs-d'oeuvre de sa magnificence?
„ Croira t-on, que ces *Electuaires* de *virginité*,
„ ces *Opiates* de *sagesse*, dont on retrouve les
„ compositions dans plusieurs Pharmacopées, ajent
„ la vertu de détruire, comme par enchantement
„ l'attrait, qui porte un sexe vers l'autre depuis
„ l'origine du monde „? Si quid forte esse potest, quod hujusce vehementissimi affectus molestias et detrimenta imminuat, aut tollat, id totum mea sententia in consolatoris et lenibus verbis consistit. Itaque curet medicus, ut illum adolescentulum ad bonam spem excitet blando sermone, eique animum addat, ut omnem moerorem a sollicita mente discutiat, qui morbosae affectionis fomes est, et tranquillitatem aliquam in tanto tempestatis furore inducat. Hinc paulatim cor intus magis laeto motu emicabit, sanguis expeditior discurret, et facilior humorum irrigatio vires, quae morbum profligent, exsuscitabit. Blanda medici hortamenta, ut ait Zimmermann, aegrotantis animum allicient, et ad instar

erunt imbris optatissimi in aridam planitiem decidentis. Quasi angelus aderit oculis illius miseri ille, qui idem humanissimum officium praestabit, et quasi solis radius grandine perculsum florem reviviscere faciet. Quae quidem medicina una, ut ego existimo, Medicum in eam opinionem inducet, ut existimet, adolescentulum posse ex illo morbo tandem aliquando convalescere. Sed tamen felicem exitum non sibi semper promittat; humani enim animi affectus saepissime indociles sunt, et in vitam nostram saevissimum imperium exercent, et (7): L'homme est trop foible, hélas! pour domter la Nature!

De reliquo videtur mihi satis muneri, quod impositum fuit, fecisse, et rem, pro ingenii mei tenuitate, explicasse. Quod si majora adjungere in animo mihi fuisset, et pluribus exemplis argumentum confirmare, fortasse periculum intercessisset, ne ego concessum ad disputandum temporis spatium praetergrederer, et vos fastidium et molestiam perciperetis.

NOTAE

(1) Beitrige zur offentlichen und gerichtlichen Arzneykunde etc. 11. Stük 1802.

(2) Histoire Naturelle etc. Tom. II.

(3) Zimmermann, esper. della Medic. Tom. III. Capitolo XI.

(4) Joseph Frank, Praxeos medicae universae praecepta Tom. VI. Cap. XXI.

(5) Commentarium Mathioli in primum lib. Diosc. Cap. CXVI.

(6) De Lignac. Tome I. Chap. II.

(7) De Lignac. Tom. I. Chap. II.

THESES PROPUGNANDAE

I.

Oportet medicum multa scire, sed pauca agere.

II.

Pathologica anathome maximam sibi gloriam vindicat in recentibus medicae scientiae progressibus.

III.

Sanguis propria caret vitalitate.

IV.

Extremum laetitiae pathema, quam tristitiae nocentius.

V.

Facilior in adultis, quam in foetibus suffocatio.

VI.

Medicus in praescribendis formulis simplicitati studeat.

214



